

quae etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis, vel erroris. Notantur autem mihi ad divinandum signa duplici quadam via: quarum alteram duco a Caesare ipso, alteram e temporum civilium natura atque ratione. In Caesare haec sunt, mitis clemensque natura, qualis exprimitur praeclare illo libro querelarum tuarum: accedit, quod mirifice ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur: praeterea cedit multorum justis et officio incensis, non inanibus, aut ambitiosis voluntatibus. In quo vehementer eum consentiens Etruria movebit. Cur haec igitur adhuc parum profecerunt? quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui justius videtur irasci posse, concesserit. Quae est igitur, inquires, spes ab irato? Eodem fonte se haustum intelligit laudes suas, e quo sit leviter adpersus. Postremo homo est valde acutus, et multum providens: intelligit, te hominem in parte Italiae minime contemnenda facile omnium nobilissimum, et in communi republica cuiusvis summorum tuae aetatis, vel ingenio, vel gratia, vel fama populi Rom. parem, non posse prohiberi republica diutius. Nolet hoc temporis potius esse aliquando beneficium, quam suum. Dixi de Caesare: nunc dicam de temporum rerumque natura. Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompejus animatus melius, quam paratus susceperat, qui nos malos cives dicere, aut homines improbos audeat. In quo admirari soleo gravitatem, et justitiam, et sapientiam Caesaris: nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. At in ejus personam multa fecit asperius: armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris. At nos quemadmodum est complexus? Cassium sibi legavit, Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae: Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Quo igitur haec spectant? Rerum hoc natura et civilium temporum non patietur: nec manens, nec mutata ratio feret, primum ut non in causa pari eadem sit et conditio, et fortuna omnium. Deinde, ut in eam civitatem